

particip.) habuimus Pſ. CXIV, 8. **ההפכתי** qui conver-
tit petram in stagnum aquarum. item Pſal. CXIII, 5.
Dei immutabilitatem tam quoad eſſentiam, quam
attributa, vide quomodo ex voce hac eliciat Maj-
monides l. 1. more nev. cap. XI.

EXPLICATIO VERSUS II.

עניניו ſervorum oculi ad manus domini-
rum ſuorum: ſcilicet ſublatis vel directi ſunt, pu-
ta, in debitâ ſubjectione, amore, obſequiô, fidu-
ciâ, constantiâ, adeo ut victum, habitum, defen-
ſionem, cunctaque neceſſaria haut aliunde ſpe-
rent, quàm ab heris genuinis: ita & nos ſervi tui
jure creationis, redemptionis, ſuſtentationis, &c:
Huc illud Plauti in Aulul. edico tibi, ut hujus ocu-
los in oculis habeas tuis: & Terentius in adelph. act.
2. ſcen. 1. caveto nunc jam oculos à meis oculis
quòquam dimoveas tuos, ne mora ſit, ſi innue-
rim, quin pugnis continuo in malâ hæreat.

יד manum: quippe quæ organum eſt elar-
giendi, defendendi, propulſandi, &c. Speciati-
m huc referri poteſt, quòd mancipia olim utcu-
que ab aliis læſa, ulciſci tamen ſe hautquaquam
potuerint, imò ne telum quidem aut aliud quid
armorum geſtare. Parens Kimchi hocce **יד** ha-
buit pro pleonaſtico. David Kimchi autem (ut &
Aben Eſra] addit, ſervos ſervasque cum percuti-
untur ab heris, ad neminem alium flectere poſſe
oculos, præterquam ad ipſosmet heros, ut miſe-
ricordiam apud ipſos impetrent, manumque illi
retrahant: ita & nos ad te, &c. Huc phraſis ger-
manica: einem in die Hände ſehen müſſen/ i. e. ni-
hil in ſuâ habere poteſtate, ab alterius depende-
re diſpenſatione.

עד שיהנונו usque dum miſereatur noſtri:)
oſtenditur ſpei continuatio, cum voluntatis
propriæ reſignatione conjuncta, quâ nihil di-
vinæ manui præſcribimus, (quod nec ſervis fa-
cere integrum,) quâ non deſerto domino genui-
no, peregrini imploramus opem, ſed patienter
horam divinitus auxilio præſinitam expectamus,
utut miſerere noſtri nolle videatur aliquandiu. vi-
de Pſalm. LV, 18. & Luc. XVIII, 1. ſeqq. Particulam
עד usque, non excludere tempus, miſerationem
divinam ſequens, ac ſi poſt impetratam gratiam
nolimus ampliùs intueri Dominum, ſed idem
omninò includere, rei docet evidentia: vide de
eodem particulæ hujus uſu Glaſſ. l. 3. phil. tr. 5.
can. 12. Danh. bermen. pag. 210. Sanctii lib. Regg. f.
628. Hoc ipſum verò Miſereri complectitur tum
malorum prementium amotionem, tum bono-
rum deſideratorum benignam collationem, ut
dictum alibi.

EXPLICATIO VERSUS III.

מנונו miſerere noſtri:) per epizeuxin ferve-
dum hoc repetitur ſuſpirium, ob periculi magni-
tudinem, ſummamque commiſerationis indigen-
tiam exprimentam: vide Pſalm. XCIII, 3. eleva-
runt fluvii, Domine, elevarunt fluvii vocem ſuam.
Pſal. XCIV, 1. Deus ultionum Jehova, Deus ultio-
num appare, &c: De ſuſpiriô autem hóc **מנונו** mi-
ſerere mei, vide Pſal. LI, 3. LVI, 2. LVII, 2. LXXXVI,
3. CXIX, 29. 58.

רב multum:) Kimchi **זמן ארוך** tempore lon-
gò. Aben Eſra; **רב זמן** multo tempore. Poteſt ta-
men abundantia quoque ignominix nec non im-
menſitas ejusdem ſimul includi.

A **שבענו** ſaturati ſumus, vel, ad nauſeam usque
repleti ſumus:) ita Campenſis. Metaphora peti-
tur à copioſâ ventriculi oppletione, ubi non lo-
cus ſupereſt ulterioribus ingerendis cibis, ubi
turgentem ventriculum corpusque diſtentum
comitatur moleſtia atque faſtidium, imò non raro
vomitus, &c. hujusmodi locus eſt etiam Pſalm.
LXXXVIII, 4. **שבעתי** ſaturata eſt malis anima
noſtra. item Job. IX, 18. Thren. III, 15. fatiari ama-
ritudinibus: Hab. II, 16. ignominia. Job. X, 15.
Thren. III, 30. opprobriô: Prov. XXVIII, 19. paupe-
rie. vide etiam Job. VII, 4. XIV, 1. Prov. I, 31. Con-
trâ ſaturari beneplacitô Deut. xxxiii, 23. bonitate
Dei, Jer. xxxi, 14. bonô domûs Dei Pſal. LXV, 5.

בו contentu:) quando ſcil. ob bonorum
opumque priſtinarum ablationem à vicinis no-
ſtris ridemur, vexamur, variisque contumeliis,
qua realibus, quâ verbalibus afficimur: vide Pſal.
CVII, 40. effundens **בוי** ſuper principes; item Pſ.
XXXI, 19. CXIX, 22. Prov. XII, 8. XVIII, 3.

EXPLICATIO VERSUS IV.

B **רבה** multum, inquam:) denuò repetitur
nomen hoc adverbialcens, & quidem hîc in for-
mâ regiminis femininâ, cujuſmodi uſum vidi-
mus proxime Pſalm. CXX, 6.

לי ſibi:) dativus pleonaſticus, qualis iti-
dem Pſal. CXX, 6. multum vel diu **למה** **שכנה** ha-
bitavit ſibi anima mea cum oſore pacis.

נפשנו anima noſtra:) plus dicitur his ipſis
verbis, quam proximè vers 3. verbò nudò: ſatu-
rati ſumus. ſiquidem cum Anima ſimul fit men-
tio, non ſolùm pro more linguæ reciprocum ex-
primitur pronomen: NOS IPSI ſaturati ſumus,
verùm malorum guſtus ſimul indicatur inti-
mus, accuratus, adeoque moleſtiſſimus, quan-
tum enim anima pollet nobiliorque eſt corpore,
tantum etiam mala, quæ animam tangunt, cru-
ciare hominem cenſenda ſunt præ iis, quæ corpus
ſolùm afficiunt. Hinc Campenſis: ad ſaturitatem
usque plena eſt & concoquere intra ſe cogitur
anima noſtra &c.

הרע hac ipſâ ſubſannatione:) quæ ſcilicet
te inſpectante nos hætenùs afflixiſt affigitque
hodie: hanc enim emphafiſ inferre videtur (ה)
præfixum, ita ut ad certam planequè notoriam
reſpectus ſit inſultationem. Nomen **רע** (con-
venientiam habens cum germanicò: ſachten) ſar-
caſticam ænotat illuſionem, qualis ab hoſtibus
infertur verbis viperinis geſtibusve contumelio-
ſis; ſicut videre eſt ex verbò **רע** de quò Prov. I,
26. & XVII, 5. Huc illud Pſ. XLIV, 14. & LXXIX,
4. ponis nos opprobrium vicinis noſtris, **רע**
ſannam & deriſum iis, qui in circuitu noſtrò.
Quanquam verò adhibitum proximè merka di-
ſtinctivum in **נפשנו** videatur dirimere præſens
nomen ſubſannationis ab antecedente verbò,
ſaturata eſt, conſtat tamen ex antecedente verſu,
hæc invicem omninò cohærere: adeoque cum
nomen conſtructum aliàs non admittat (ה) em-
phaticum (pag. 116. n. 9.) haut malè Pagninus re-
petiit idipſum ſine (ה): **רע** ſubſannatione inquam
opulentorum. (vide pag. 117. in mediò.) Idem facit
& Kimchi, citans locum Joſ. III, 14. **הארון** **הכרית**
nec non Lutherus, Piſcator, Belge. Si tamen o-
mninò interciſionem conſtituamus in merka con-
poſitò, ſenſus dari poſſet iſte: multum profeciô ſatu-
rata

A a a a 3

rata